DISCVRSVS

THEOLOGO-POLYTICVS

De

Romani Imperij duratione usque ad consummationem sæculi.

In quo

Disquiritur; An Occidentale Imperium in Carolo Magno redintegratum, sit idem cum Romano, de quo in vaticiniis Danielis & Joannis?

ITEM;

An probabiliter ex Scripturis colligi possit, præsens Imperium Germano-Romanum brevi interiturum esse?

Apocal. 22.
Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus. Tempus enim propè est.



Anno Domini M. DC. XLI.

I. Petr. III. v. 15.

Dominum autem Deum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de eâ, quæ in vobis est spe.





DISCURSUS THEOLOGO-POLYTICUS

De

Romani Imperij diuturnitate, &c.

QVÆSTIONES tres, de Romani Imperij constitutione ac continuatione proponuntur, ut de iis sententiam meam, in timore Domini, breviter & succinctè exponam.

PRIMA est. An ex vaticinijs, Danielis & Ioannis, probari possit, Romanum Imperium duraturum esse usque ad finem seculi?

SECUNDA. An Imperium Occidentale in Carolo Magno erectum, sit planè idem cum Romano Imperio, de quo in Scripturis?

TERTIA. An præsens Imperium Germano-Romanum brevi ruiturum esse, probabiliter ex Scripturis colligi possit?

In PRIMA quæstione mentio fit *Danielis & Ioannis*; ut qui sint duo illi Prophetæ, qui præ omnibus alijs de Romano Imperio luculentam mentionem fecerint: & omnium tempo-

 rum

rum Chronologi ſint nobiliſſimi ac certiſſimi. In SECUNDA, prudenter præſumitur, Romanum Imperium ambiguè dici. Non enim agitur de Romano imperio, quod falſâ hominum perſuaſione ſic dicitur: ſed de eo, quod eſt ejuſmodi certo ac infallibili indicio & judicio ipſius Dei, in Scripturis loquentis. In TERTIA notandum illud, *Probabiliter*. Futurorum enim contingentium non eſt determinata veritas: & Deus ſolus is eſt, qui ſibi certam ac infallibilem eorum præſcientiam vendicat tanquam propriam. Et licet multa ex iis, quæ citò ventura ſunt, ipſe in Scripturis certò ac infallibiliter revelaverit: nobis tamen non ſemper æque certò atque infallibiliter innoteſcunt: ut qui Prophetæ quidem ſumus, non ad prædicendum futura: ſed ad interpretandum prædicta, in quo labi poſſumus, & deficere. His itaque præmiſſis, ad rem ipſam accedens,

Reſpondeo;

Ad PRIMAM. *Romanum Imperium à primâ ſui conſtitutione, continuabitur uſque ad conſummationem ſaculi.* Hæc veritas communiter ab omnibus eſt recepta, & vix patitur ullam contradictionem. Attamen quia non omnes ad eam probandam iiſdem nitantur & utantur fundamentis, breviter expediam, ex quibus potiſſimum Sacræ Scripturæ locis eadem comprobari poſſit, ac debeat. LOCI Scripturæ præcipui ſunt tres. PRIMUS eſt Dan. 2. ubi Propheta ſucceſſionem deſcribit præcipuorum regnorum per ſtatuam quandam: cujus caput aureum ſignificat regnum Aſſyriorum: Pectus & brachia argentea regnum repræſentant, Perſarum & Medorum: venter & femora ænea, regnum præfigurant Græcorum: Tibiæ duæ ferreæ regnum deſignant Romanorũ. Finitâ verò illius ſtatuæ deſcriptione, in decem cornibus, id eſt, Regibus, ſive regnis, ſubditur verſ 44. *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus populo,*

cæli

cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc: & ipsum stabit in æternum. Regnum intelligens Messiæ, non humile, in adventu primo: sed gloriosè manifestandum in adventu secundo. Id apparet ex duobus minimè dubiis argumentis. Primò, quia hoc regnum destructivum est omnium aliorum regnorum hujus mundi: quod non convenit humili Messiæ regno, Joan. 18. 38. Sed Regno Messiæ Glorioso, de quo Paulus 1 Cor. 15. 14. *Deinde finis*, post resurrectionem Iustorum in adventu ejus: *cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & omnem potestatem & virtutem.* *Deinde*, quia hoc regnum alteri populo non tradetur: quod etiam humili Messiæ regno non competit: ut quod à Judæis sit ablatum, & traditum gentibus. Matth. 21. 43. sed convenit glorioso Messiæ regno, quod revera est, & dicitur, *immobile.* Hebr. 12. 28. *& æternum.* 2 Petr. 1. 11. Locus Parallelus huic lucem inferens, extat Apoc. 11. 18 *Facta sunt regna hujus mundi, Domini nostri, & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum, Amen.* quod futurum prædicitur in diebus Tubæ septimæ, quæ est novissima, & *tuba est consummationis.* Apoc. 10. 7. Ex quibus necessariò colligitur, Romanum Imperium usq; ad finem sæculi continuandum esse.

SECUNDUS locus, Dan. 7. Vbi quatuor illas partes principales præcedentis statuæ, de novo repræsentat per quatuor Bestias quasdam: quarum *prima* Assyriorum, similis est leoni: *Secunda* Persarum, similis Vrso: *Tertia* Græcorum, similis Pardo: *Quarta* denique Romanorum, quæ Bestia est *decem cornuum*, & similis est præcedentibus tribus. Os enim habebat Leonis: corpus totum erat pardale: ac pedes Vrsini: quod nunquam scivissem nisi id docuisset Joan. Apoc. 13. 2. Absolutâ verò descriptione hujus Bestiæ quartæ, quā repræsentare diximus Monarchiam Romanorum; iterum devolvitur

Propheta.

Propheta in ſecundum Domini adventum,& glorioſum ejus regnum. *Adſpiciebam*, inquit, *donec throni poſiti ſunt: & Antiquus dierum ſedit*. Item; *Ecce cum nubibus cæli, quaſi filius hominis veniebat: & datum eſt ei regnum, quod non corrumpetur* Ac rurſus; *Donec venit Antiquus dierum, & judicium dedit Sanctis excelſi & tempus ad venit,& regnum obtinuerunt*. Atque iterum; *Iudicium ſedebit,ut auferatur potentia ejus, & conteratur, & diſpereat uſque in finem. Regnum autem & poteſtas,& magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cælum,dabitur populo Sancto Altiſſimi,cujus regnum, regnum ſempiternum eſt*. Locus huic parrallelus, vel ipſius Bellarmini judicio lib. 3 de Rom.Pontif.cap. 9. extat apud Joannem Apoc.20. *Poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore,& vidi ſedes,& ſederunt ſuper illas: & judicium datum eſt eis,id eſt,regnum*: quia ſequitur; *Et regnaverunt cnm Chriſto*.

Tertius locus eſt, Apoc. 17. Vbi Ioannes quartam Beſtiam Danielis, quam diximus Romanam Monarchiam, deſcribit ſecundum omnia tempora,præteritum, præſens, & futurum. *Beſtia*, inquit, *quam vidiſti,fuit, & non eſt, & tamen eſt, & ad ſcenſura eſt de abyſſo,& in interitum ibit*. Ipſa olim *fuit*, nempe,antequam fieret quarta Monarchia, quando extabat in quinque primis capitibus: *Non eſt,& tamen eſt*, in capite ſexto, quod eſt Romanorum Imperatorum: Ex quibus tunc, cùm hæc ſcriberet Joãnes, Domitianus erat mortuus: ſed ſtatim ei ſucceſſurus erat alter,& ſic deinceps. *& ad ſcenſura eſt de abyſſo*, in ſeptimo capite, quod nondum venit, quod nullus ambigit Antichriſtum futurum,ut qui Rex ſeptimus, id eſt, ultimus ſit Romanorũ,tamen ſine nomine Romani Imperatoris: quæ loci interpretatio eſt ipſius Joannis. Dicitur autem eadem Beſtia ad *breve tempus manere*, cum certo reſpectu, ad noviſſimam illam perſequutionem, quam ſuſcitabit Antichriſtus in eo ordine noviſſimus ac cæteris major, quæ duratura eſt menſibus quadraginta duobus, Apoc. 13.5. Quibus expletis, mox

aderit secundus Domini adventus; ideò sequitur; *Hi pugnabunt cum Agno, & Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum: & qui cum illo sunt; Vocati, & Electi, & fideles:* quæ Agni & Sanctorum ejus Victoria, latius explicatur, Apoc 19.14 15.16.19. Durabit itaque Romanum imperium, usque ad consummationem sæculi, in secundo Messiæ adventu.

TESTIMONIIS hisce tribus ex Daniele & Joanne, quartum addendum est ex Paulo, 2 Thess. 2. *Qui tenet, teneat: donec è medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui: & destruet illustratione adventus sui eum.* Græcè est ὁ κατεχων, tenens, sive possidens: id est, ille qui tenebat, sive possidebat totius orbis imperiũ. Et intelligitur non Vnus singularis Imperator, sed in genere omnes, à primo usque ad novissimũ: unde suprà nominaverat τὸ κατεχὸν, imperiũ ipsum. Eidem opponitur, ὁ ἀνομος, iniquus ille, quem Antichristum significare nullus ambigit: qui futurus est, vel ipsius Augustini judicio, non unus tantũ singularis homo: sed ex vi oppositionis, genus quoddam hominum sibi ex ordine succedentium. In Apocalypsi cap. 17. *Caput sextum*, non est unus tantum singularis Imperator; sed Imperatores omnes. Ergo & *caput septimum*, quod omnes interpretantur Antichristum, non est unus singularis Antichristus, sed Antichristi in eo genere & ordine omnes, à primo usque ad novissimum. Id enim postulat ratio & ordo capitum; ac eorundem in idem regnum successio. Sensus itaque verborum est, Regnum Antichristi non poterit revelari, nisi prius è medio sit sublatum Romanum Imperium. Et in eo consentiunt omnes veteres & Recentiores.

NOLUIT autem Paulus Romanum imperiũ apertè nominare, ne fortè frustrà inimicitias susciperet, & inutilia pericula incurreret, ut rectè observavit Chrysostomus: in quæ, cum fidelibus necessariò incidisset, si apertè dixisset; Romanum imperium destruendum, quod Romani nominabant, Æternum.

Et duplicem illis verbis, Antichristi interitum, insinuat Paulus; Vnam primam, quæ fiet Spiritu oris Christi, id est, efficaciâ Evangelicæ prædicationis: Alteram corporalem & visibilem, quæ fiet illustratione præsentiæ ejus in secundo adventu: cujus interpretationis testem habent Evangelici, ipsum Cardinalem Cajetanum in 2 Thess. 2. *Differentia*, inquit, *est inter consumptionem, & destructionem. Consumtio Spiritualis est. Consumet enim Spiritu oris sui, id est, Spiritu sermonis Evangelici, ubi multi ad veritatem Evangelicam convertentur, ac multi perseverabunt usque ad Christi adventũ.* Ea significatio est verbi ἀναλισκειν Galat. 5. 15. *Si invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Sic tempus dicitur ἀναλισκειν τὸ καλὸς, pulchritudinem consumere, non simul ac semel, sed sensim, & pedetentim, ac lento quasi gradu.

Romanum itaque imperium in *sexto capite*, quod est Romanorum Imperatorum, continuabitur, usque ad adventum Antichristi, in quo illud ipsum renovabitur, ac restaurabitur, ut qui Bestiæ Romanæ futurus esset *caput septimum*, id est, ultimũ: & in eo continuabitur usque ad Christi adventum: qui Antichristum, non primum, non medium, sed ut probè alibi distinxit Augustinus, novissimum, ac cæteris majorem, illustratiostratione præsentiæ suæ est penitus aboliturus.

Atque hæc sufficerent, pro Responsione ad quæstionem primam. Sed operæ pretium erit, priusquam ad sequentes quæstiones progrediamur, ut videamus, quo ordine & modo, ac quibus gradibus Romanum imperium ad finem usque sæculi, describatur provehendum. Nam ea res magnam hisce vaticinijs lucem inferet: & copiosa suppeditabit argumenta, ad dissolvendum omnia dubia, quæ circa hanc materiam, moveri possunt, ac solent. Ponam itaque, & probabo aliquot propositiones.

PRIMA propositio. *Romanum Imperium in suo exortu,*

Imperium

Imperium unitum fuit, quod se duabus quasi tibijs, ab occidente in Orientem dilatavit, & decem sibi habuit subjectos reges, sive regna, ex quibus ipsum, tanquam ex totidem suis partibus principalibus constitit. Probatur, quia Daniel cap. 2. vidit duas Tibias hujus statuæ in supremâ parte circà ventrem conjunctas : nec potuissent posteà hæ duæ Tibiæ, in decem Reges, sive regna dissolvi, nisi jam ante ex illis constitissent. Ex quo enim quid constat, in id, & non aliud, dissolvitur. Et respondit eventus. Romanum imperium ab initio in Occidente sibi obnoxiam habuit, Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Hungariam & Bulgariam: in Oriente; Græciam, Natoliam sive Asiam minorem, Syriam & Assyriam, Ægyptum, Africam, cum suis, appendentiis & dependentiis, de quibus consulendi Historici.

SECUNDA propositio. *Romanum Imperium in suo progressu, Imperium fuit Bipartitum:* Probatur; quia statuæ illius duæ Tibiæ circà genua apertè à se invicem fuerunt divisæ. Et respondit eventus. Imperium enim Romanum, bipartitum factum fuit, mox à temporibus Constantini Magni, anno 363. quando sedes imperij translata fuerat Constantinopolim; de quo consulendus Andrichomius. Illa tamen divisio non fuit inimica, sive partialis: sed amica & socialis. Imperatores enim tàm Orientis, quàm Occidentis, semper durante illa divisione, manserunt κοίνωνοι unius ejusdemque Imperii, cujus proprià sedes erat Roma: quod doctissimus Daniel Chamierus conqueritur à multis non fuisse observatum, lib. 17. de Antichristo cap. 24.

TERTIA propositio. *Romanum imperium in suo fine, imperiũ fuit distractum, sive divulsum in decem regna, & in eo illius veteris Romani imperij fuit finis.* Probatur; quia statua illa Danielis in fine duarum Tibiarum, tota dissoluta fuit in duos pedes, & illi singuli in quinque pedum articulos, qui simul numerati, faciunt decem. Ergo hîc imperium repræsentatur in decem

regna

regna dissolutum. *Regna* dico, quia Reges passim pro Regnis accipiuntur, tùm à Daniele, tùm à Ioanne: quia quando de Monarchijs sermo est, non tam agitur de personis, quàm de rebus. Nec alia regnorum distractio hic intelligenda est, quàm inimica & fatalis, quia sequitur apud Danielem vers. 44. *quia commiscebuntur quidem humano semine: sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum misceri non potest testæ.* Hoc omne ex mente omnium veterum sic expressit Hyeronimus; *Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt; in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, sive regna, qui orbem Romanum inter se dividant: & undecimum, &c.* Et respondit Eventus. Nam in Occidente, Romanum imperium penitus collapsum, & ad Barbaros devolutum fuit, anno Domini 476. Et in Oriente plenis velis ad interitum provehebatur. Præviderat hoc ipsum Hieronymus ad Ageruchiam; *Qui tenet, de medio fit: & non intelligimus Antichristum appropinquare, quem Dominus Iesus Christus conficiet Spiritu oris sui?* Indeque percurrit clades jam tùm temporis acceptas in varijs provincijs ad Septentrionem & occidentem. Non dixit tamen, *De medio factus est*: sed tantùm de medio fit, divinans illas esse clades, universæ ruinæ paulò post futuræ. Nec falsus vates. Nam ea subsequuta sunt tempora, quæ *Salvianum* impulerint, de Gubernatione Dei lib. 4. ut diceret; *Romanam Rempublicam, vel jam mortuam, vel certè extremum Spiritum agentem.* Et *Episcopi Galli* in Synodo Rhemensi sub Hugone, & Roberto Francorum Regibus c. 28. *Imperij occasum* nominare non verentur. Ac denique Andræas Cæsareæ in Cappadociâ post Basilium Episcopus, anno Domini 530. in Apocalypsin commentariorum cap. 53. *Antiqua*, inquit, *Roma jam olim imperij majestatem amisit: Nisi quis forsan arbitretur pristinam dignitatem & majestatem suo posteà tempore denuò recuperaturam.* Quod certè futurum erat sub Antichristo, in quo vetus illud imperium erat

rat redintegrandum. Ideò Daniel, eam veteris Romani imperij, quam inchoaverat cap. 2. in duabus Tibijs, Chronotraxin; capite 7. resumit & persequitur, in descriptione quartæ Bestiæ: ac in eâ meminit alicujus parvi cornu, sub quo decem illa regna, in quæ nunc dissoluta erat tota compages Veteris Romani imperij, recolliguntur. Sit ergò.

QUARTA propositio. *Romanum imperium in decem regna divisum, sub parvo cornu, quem nullus ambigit esse Antichristum, renovatur, & in pristinam dignitatem, ac majestatem quodammodo restituitur.* Probatur, quia ex decem illis cornibus veteris Romanij imperij, parvum hoc cornu tria humiliat, & reliqua septem sibi subjicit, ut non ineptè ex Dan. 11. collegerunt veteres, quorum mentem suprà laudatus Hieronymus, ita persequitur; *Vndecimum surrecturum esse parvum cornu, regem parvulum, qui tres reges de decem Regibus superaturus sit; id est, Ægyptiorum regem, & Africæ, & Æthiopiæ,* quibus interfectis, etiã alij septem reges victori colla submittunt. Quæ postrema verba, *de tribus Regibus, Ægypti, Africæ, & Æthiopiæ,* non sunt omnium veterum, nec propriè accipienda sunt, & secundum literam, sed figuratè de tribus quibuslibet olim imperio Romano subjectis. Nam verba illa apud Danielem propriè dicuntur de Antiocho, qui figuram gerebat Antichristi: & Æthiopia, quod Hieronymo nõ erat incognitum, nunquã Romano imperio fuit obnoxia. Nec defuit eventus. Nam Antichristus Romanus *primum* cornu de illis decem, quæ olim Romano imperio subjiciebantur, excussit, quando Gregorius secundus excommunicavit Leonem Imperatorem Græcum Iconomachum, & prohibuit illi tributa ab Italis reddi, & paulatim principatum ejus, id est, Exarchatum Ravennæ obtinuit. *Secundum* verò cornu excussit, quando Zacharias Papa, deposuit Childericum Regem Francorum, & Pipinum pro eo creari jussit. *Tertium* denique excussum fuit, quando Gregorius septimus, excommunicavit,

& deposuit Henricum quartum Imperatorem, de quibus in suo Chronico, Theodorus Bibliander.

QUINTA propositio. *Romanum imperium, in parvo cornu (Antichristo) redintegratum (quem Ioannes vocat, Bestiam ad scensuram ex mari Apoc.13. sive, Bestiam ad scensuram de abysso, quæ septimum constituit ejusdem imperij caput. Apoc.17.) de novo lethaliter vulneratur, & decem Reges de novo ab eo deficiunt.* Probatur; quia Apoc.13. expresse dicitur: *Et vidi unum,* id est, precipuum, *de capitibus ejus, quasi occisum in mortem:* videlicet, caput septimum. Nam ut rectè Bellarminus lib.3. de Rom. Pontif. cap.15. *Prior Bestia significat, vel Romanum imperium, vel multitudinē impiorum. Vnum autem; id est, præcipuum ejus caput, quod visum est mori & resurgere, esse Antichristum. Erit enim Antichristus supremum & ultimum caput impiorum; & est ultimus Rex qui Romanum imperium tenebit, tamen sine nomine Romani Imperatoris.*

Esse autem Bestiam hanc Ioannis Apoc.13. planè eandem cum parvo cornu Danielis, patet ex hujus & illius collatione. Parvum illud cornu, Dan.7. os habet loquens ingentia, & sermones loquitur contra excelsum, ac majus est cæteris, atque bellū gerit cum Sanctis, & prævalet eis, & traduntur in manu ejus usq; ad tempus, tempora, & dimidium temporis. Eodem modo, Bestia Apoc.13 os habet loquens magna, & os aperit in blasphemias ad Deum, & potestatem habet in universam terram: atque bellum facit cum Sanctis, & vincit eos, ac traduntur in manu ejus mensibus quadraginta duobus; quæ sunt quatuor illa tempora novissimæ persequutionis parvi cornu Antichristi. Ex quâ collatione cuivis certò constare potest, parvum illud Danielis cornu, & hanc Bestiam Apocalypticam Ioannis, unum esse & idem.

Quod ergo Daniel omiserat in descriptione parvi cornu, futurum ante novissimam illam persequutionem; id noster Ioannes persequitur & pertexit, supplendo quod deerat in visione

sione Danielis: (quomodo Prophetæ posteriores , prioribus lumen ac perfectionem inferre solent) ac docet, parvum illud cornu accepisse læthale aliquod vulnus, nempe, in novâ quadam defectione decem illorum regum. Apoc. 17. 13. Vbi de decem illis Regibus dicitur, *quod unum habeant quidem cum Bestiâ consilium, & virtutem, ac potestatem suam Bestiæ tradant:* sed statim sequitur; quod ab eâdem deficient, *& odient fornicariam, & desolatam facient eam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igne concremabunt.* Et respondit eventus. Nam ab eo tempore quo reformari cœpit Ecclesia per prædicationem Evangelij, Regnum Antichristi Romani, mirum in modum luxatum fuit: quâ de re lamentatur ipse Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. c. 21. sequentibus verbis; *Nam ab eo tempore , quo per vos Papa Antichristus esse cœpit, non modò non crevit ejus imperium, sed semper magis ac magis decrevit. Amisit enim Romana sedes Africam pœnè totam, Asiæ maximam partem, Græciam universam. Nostris verò temporibus, quibus vos Antichristum maximè furere vociferamini , tàm prosperè scilicet illi omnia successerunt , ut magnam Germaniæ partem amiserit, Suetiam, Gothiam, Norvegiam, Daniam universam, bonam Angliæ, Galliæ, Helvetiæ, Poloniæ, Boëmiæ ac Pannoniæ partem.* NONDUM tamen illud vulnus ad prædictam suam maturitatem pervenit; quia decem illi reges, urbem Romam, omnium fornicationum, matrem, nondum igne concremarunt. Cûm verò ad summum pervenerit illa plaga mortis, ut regnum Antichristi verè dici possit, *quasi mortuum*: tunc decem illi Reges, de novo cum Bestiâ Romanâ conspirabunt. Hic igitur esto,

SEXTA Propositio. *Romanum imperium, regnante Antichristo, ex hoc læthali vulnere, rursus convalescet, & quasi ex morte resurget; decem illis regibus de novo cum eo conspiraturis.* Probatur; quia Apoc. 13. satis disertè dicit Joannes; *Et plaga mortis ejus curata est*: quod ad minimũ ter, in eodem capite repetitur. Illius verò plagæ curatio, sive sanatio, sive restitutio, sive instauratio , vel

 quo-

quocunque alio nomine veniat; in eo potissimum consistit; quod decem illi reges, de novo cum Antichristo sint conspiraturi, & simul defleturi finalem ac totalem urbis Romæ ruinam, ut videre est ex Apoc. 17. 17. *Deus enim dedit in corda eorum*, decem Regum, *ut faciant quod placitum est illi*, nempe in desolatione illius Romanæ meretricis, de quâ in versu præcedente: *& ut faciant* (de novo) *unam sententiam : ut dent regnum suum Bestiæ, donec consummentur verba Dei*, nempe in finali & totali, ipsius meretricis, & Bestiæ interitu, qui describitur Apoc. 18. & 19. Notandus est imprimis vers. 8. 9 capit. 18. *Ideò in unâ die venient plagæ ejus, mors & luctus, & fames & igne comburetur: quia fortis est Deus, qui judicabit illam. Et flebunt, & plangent se super illam Reges terræ, qui cum illâ fornicati sunt.* Illi iidem reges, qui in primâ illâ Romæ ruinâ, & læthali illâ Bestiæ plaga fuerunt actores: rursus de novo cum eâ conspirabunt, & in illius ruinâ finali erunt lamentantes.

SEPTIMA Propositio. *Romanum imperium restauratum àc sanatum, multò* apparebit *gloriosius, quam unquam ante, & novissimam adversus Sanctos suscitabit persequutionem; atque eam quidem per Antichristum, in eo ordine & genere novissimum, ac cæteris majorem: quâ consummatâ, mox aderit totalis ac finalis illius imperij interitus.* Probatur; quia post restauratum vulnus Bestiæ, & novissimam Sanctorum persequutionem. Apoc. 13. *Evangelium* de novo incredibili velocitate per universum terrarum orbẽ *prædicabitur*, & tanquam fulgur exibit de oriente in occidentem. Apoc, 14. Et *septem novissimæ Phialæ*, in quibus *consummata est ira Dei*, Apoc. 15. ad prædicationem Evangelij in Bestiam & ipsius asseclas & conjuratos, modo prorsus admirando & stupendo ut olim in Ægyptios, effundentur. Apoc, 16. quarum novissima, certissimam & irreparabilem omnibus regnis hujus mundi, afferet ruinam: Apoc. 16. 18. 19. 20, quæ in sequentibus capp. 18. 19. latius deducuntur, Ac denique regnum da-

bitur populo Sanctorum Altissimi, regnum illud immobile ac æternum, in secundo Domini adventu. Etiam. Amen.

En itaque totius Romani imperij, tùm veteris, sub Romanis Imperatoribus; tùm Novi, sub Antichristo Romano; à primo suo initio, usque ad consummationẽ sæculi accuratissimã & certissimam Chronologiam; quæ cavillis quibusdam arrodi; nunquam tamen serijs argumentis poterit infringi, multò minus convelli. Atque hæc de quæstione primâ, Pergo. Et,

Respondeo,

Ad SECUNDAM. *Occidentale Imperium in Carolo Magno à Pontifice Romano redintegratum sive renovatum, non est idem cum illo Romano imperio, de quo mentio fit in Scripturis.* Quinimò nulla magis expressa mentio fit in Scripturis de Caroli imperio; quam de regno, aut Galliæ, aut Hispaniæ, aut Portugaliæ, aut aliorum particularium. Quare, meo judicio, valde temerarij sunt, qui ex vaticijs Danielis & Joannis, certi aliquid statuere præsumunt, de duratione & continuatione illius imperij, usque ad finem sæculi. Non entis, nulla sunt accidentia. Si igitur imperium in Carolo erectum, Scripturis illis sit ignotum: nulla etiam ex iisdem pro illius diuturnitate peti poterunt argumenta. Fateor hoc imperium dici, *Romanum*, sed nullâ aliâ, quàm falsâ Romani Pontificis nomenclaturâ: qui hoc, quicquid est nominis, Caroli imperio indidit, ne putaretur ipse esse, qui sine nomine Romani imperatoris, antiquum illud imperium collapsum, in ipsa urbe Roma cœperat invadere. Regula juris est; *Nominibus diversis non esse nominanda, quæ censentur eadem*. Ergo ex lege contrariorum; Iisdem nominibus nominanda non sunt, quæ censentur diversa: qualia sunt hæc duo; Romanum imperium, in Scripturis celebre; & imperium Caroli Scripturis prorsus incognitum.

Proba-

Probatur ejusmodi esse, sequentibus argumentis. *Primò*, quia Romanum imperium, de quo fit mentio in Scripturis, quodque continuandum prædicitur usque ad consummationem sæculi, propriam habet sedem in urbe Româ: unde illi, & nomen, & ratio. Sic enim Joannes Apoc. 17. Bestiam Romanam describit per omnia sua tempora, *præteritum, præsens, futurum: præteritum*, in quinque capitibus ejus, quæ ceciderant: *præsens*, in capite sexto, quod erat Romanorum Imperatorum: *futurum*, in capite septimo, id est, ultimo, quod est ipsius Antichristi: Et per omnia tempora, *mulier* illa meretrix, sive urbs illa imaginũ cultrix, quæ illi præsidet, depinguitur *sedere super montes septem: & regnum habere super Reges terræ:* quæ nulla alia urbs est, præterquam Roma, undè ipsa ἑπτάλοφος, Græcis, & Latinis, *Septicollis* dicitur. Martialis eam nominat; *Terrarum Deam, gentiumque*: quod utrumque Propertius unico versu est complexus; *Septem urbs alta jugis, toti quæ præsidet orbi.* Hinc constat Romanum imperium, propriè dictum, urbi Romæ affixũ esse, nec ab eâ sede divelli posse. Rectè Orosius lib. 1. Histor. cap. 1. *Sub potestate urbis, orbis remansit imperium.* Id ex Hieronymo fortassis didicerat, qui deplorans urbis Romæ interitum, in præfatione suâ Ezechielis ca. 1. *Clarissimum*, inquit, *terrarum omnium lumen extinctum est, imò Romani Imperij truncatum caput, & ut verius dicam; In unâ urbe, totus orbis interijt.*

Jam verò notum est, Occidentale hoc Caroli imperium, nunquam pro sede suâ habuisse urbem Romam: proinde non posse propriè & secundum Scripturas dici Romanum. Nec juvat exceptio, quod multi olim fuerint Romani Imperatores, qui Româ caruerunt, ut Valens, Arcadius, Theodosius junior, & alij eorum successores, usque ad Justinianum. Nam licet illi Româ caruerint, tamen, jus & dominium semper in eam urbem retinuerunt; utpote κοινωνοί, unius ejusdemque imperii, cujus propria sedes erat Roma, ut suprà monuimus, &

Chamie.

Chamierum nominavimus de eâ re consulendum.

DEINDE; quia Papa Romanus, plus quam centum annis, ante exortum Caroli Magni, in urbe Roma. Romani imperij propriâ sede, temporale accepit dominium. Cœpit enim ille gladium temporalem: id est, temporale dominium habere saltem ab anno 699. Tunc enim Aripertus donavit Pontifici Romano alpes Coctias, ubi nunc Genua est: & posteà anno 714. eam donationem confirmavit Luitprandus, ut scribit Ado Viennensis in Chronico horum annorum. Blondus lib. 10. Decadis primæ: & idem fatentur Magdeburgenses, Centur. 8. cap. 10. & Theodorus Bibliander, qui hoc anno 714. annotat, factam esse primam provinciam papisticam. Non diu post, id est, anno 755. donavit Pipinus, Romanis Pontificibus Exarchatum Ravennæ cum magnâ parte Italiæ, ut testatur Rhegino, Ado, Sigebertus, Blondus l. 1. secundæ Decadis, B. Æmilius, & ipsi etiam Centuriatores, ubi suprâ: ac Theodorus Bibliander in Chronico.

Si igitur Papa Romanus ab eo tempore, Romam semper tenuit: certè, continuatio Romani imperij propriè dicti, in nullo alio quærenda erit, quàm in ipso Papa Romano. præsertim cùm idem Papa, Carolo Magno Francorum Regi, nomen & titulum Romani Imperatoris attribuerit: eo ipso demonstrans se Imperatore majorem esse; unde etiam eidem juramentum præstitit fidelitatis: ut penes quem sit, si caussa necessariò postulet, ex plenitudine potestatis, Imperatores deponere, inque locum eorum alios sufficiendos procurare. Ita enim in creatione & coronatione Caroli, Baronius.

PRÆTEREA; Nemini dubium esse debet; Papam jam pridem factum esse Romanæ Bestiæ septimum caput, id est, ultimum Romanorum Regem, sine nomine tamen Imperatoris. Probatur id *primò*, ex testibus fide dignis, & omni apud ipsos Pontificios, exceptione majoribus. Ita enim *Thomas Aquinas*,

cujus

cujus scripta à duobus Romanis Pontificibus, sunt approbata, ex ipso Leone in 2 Thess. 2. *Quomodo est hoc, quia jam diu gentes à Romano imperio recesserunt, & tamen necdum venit Antichristus? Respondet, quod nondum cessavit: sed commutatum est de temporali in Spirituale.* Cessavit itaque, ipsius judicio, Romanum imperium Vetus, non tamen simpliciter cessavit, sed in locum ejus successit imperium Romanum Spirituale; id est, in locum veterum Romanorum Imperatorum, successerunt Romani Pontifices: & nisi oculi ejus à Deo hujus sæculi fuissent fascinati, ex eo collegisset, Romanum Pontificem esse Antichristum, si non in illo ordine novissimum: attamen in eodem regno prædecessorem aliquem. Magis candidè in hanc rem *Augustinus Steuchus* pro ementitâ donatione Constantini; *Everso,* inquit, *imperio nisi Deus Pontificatum restituisset, futurum erat, ut Roma à nullo excitata, & restituta, inhabitabilis, post hæc fœdissima Boum & pecorum futura esset habitatio. At in Pontificatu, etsi non illa veterū imperij magnitudo, specie certè non longe dissimilis, renata est, quia gentes omnes ab ortu & occasu, haud secus Pontificem Romanum venerantur, quàm olim Imperatoribus parebant.* Omnium verò syncerissimè Blondus, quem passim laudat Bellarminus, lib. 3. instauratæ Romæ; ubi inter alia, *Restauratum in Romano Pontifice imperium magnificè deprædicat; Dictatorem, inquit, nunc perpetuum, non Cæsaris: sed Piscatoris Petri successorem, & imperatoris prædicti vicarium Pontificem summum, Principes orbis adorant, & colunt. Nunc orbis terrarum Cardinalium Senatum in Vrbe Româ, post Pontificem veneratur.*

SECUNDO, probatur ex rebus ipsis. Etiamsi enim hi Romani Caîphæ non prophetassent, idē tamen pateret per ipsam experientiā. Nam Pontifex Romanus sensim & gradatim sibi omnia Veteris imperij propria insignia & ornamenta assumsit, videlicet, vestes, & calceos purpureos; Senatum Cardinalitium, purpurâ indutum: jus Canonicum ad imitationem juris

Civilis,

Civilis; potestatem apotheoseos, sive Canonisandi Sanctos: Nuncios, quos appellant à latere, quales fuerant Imperatorũ, vel ipsis regibus æquiparandos: papales indictiones ad similitudinem Imperialium; coronam Imperialem, sed triplam: tributa non tam multa quidem, sed magis innoxia; officia denique debita & humiles subjectiones omnium Principum, &c. quæ qui audit, videtq; næ ille prorsus surdus & cœcus est, qui hic non animadvertat alium Imperatorem in urbe Roma, quàm fuerunt antiqui illi Imperatores; qui quidem nomen Imperatoris, non habeat, sed mutato nomine, rem ipsam teneat.

Neque illud QUARTO loco prætereundum est; Si Antichristus jam pridem in urbe Roma conceptus, natus, confirmatus, revelatus fuit; tum necessariò sequitur: Romanum imperium vetus, jam pridem è medio sublatum fuisse, & ei novum successisse, ipsius Antichristi: proinde Occidentale illud imperium in Carolo Magno erectum, nullo modo pro Romano habendum esse, nec ei singularem aliquem locum in Romano imperio assignari posse: sed Antichristo inservire pro larva & velamento nominis. Atqui omnes Evangelici jam ante annos quingentos confessi sunt, & multorum millium Sanctorum Martyrum sanguine hæc confessio confirmata fuit: *Romanum Pontificem, in urbe Româ sublimatum, esse ipsissimum Antichristum*: & à nullo negari potest, nisi qui relictis castris Israelis, impiè ac perfidè transire velit ad castra Philisthinorum. Audiantur hac de re, patheticæ declamationes ipsorum Episcoporum Germaniæ in Synodo Reginoburgensi, apud Aventinum lib. 7. Annalium; *Romani majestas populi, quá olim orbis regebatur, sublata est de terris. Imperator vana appellatio, & sola umbra est. Reges decem pariter existunt, qui orbem terræ Romanum quondam imperium, non ad regendum, sed ad consumendum partiti sunt. Decem cornua, id quod Augustino incredibile visum est;*

Turcæ, Græci, Ægyptij, Asij, Hispani, Galli, Angli, Germani, Siculi, Itali, Romanas provincias possident, Romanosque in his excidére colonos Cornu parvulum sub his succrevit, quod oculos habet, & os loquens grandia, &c.

DENIQUE, quod vel maximè stringit; Si imperium in Carolo Magno redintegratum, sit planè idem Romanum imperiũ cum eo, de quo in Scripturis propheticis, & imprimis in vaticinijs Danielis & Joannis, sermo est; quod nemo dubitat solum esse imperium Romanum verè & propriè dictum: tum necesse est, ut unum statuatur ex his tribus; Aut una erit ex duabus tibijs Danielis: aut erit parvum illius cornu, quod Joanni est Bestia ad scensura de abysso: aut denique erit caput illud læthaliter vulneratum Apoc. 13. quod quidam existimãt esse caput sextum Romanorum Imperatorum. Quartum non datur eligi, quia in his solis tribus Veteris Romani imperij continuatio describitur in Scripturis: ut ex ijs, quæ suprà à nobis disputata sunt, vidimus.

Jam assumo, procedendo ordine retrogrado, à novissimo ad primum *Imperium Caroli, non est caput illud, læthaliter vulneratum.* Apoc. 13. ut apparet ex multis. Nam *primo*, Joannes vidit Bestiam adscendentem ex mari, id est, ex plagâ occidentali, non in sexto capite Romanorum Imperatorum, quod jam diu exortum erat, ante conscriptam hanc Apocalypsin: sed vidit eam ad scendentem in capite septimo. Non ergo potest hoc vulnus esse capitis sexti. Ita seipsum Joannes explicat Apoc. 17. *Quinque capita ceciderunt, unum est*, nempe sextum; & *septimum nondum venit.* Hujus itaque exortum vidit, quod post sua tempora erat venturum: non vero alterius, quod suo tempore, extabat. DEINDE, ipsi etiam Pontificij post veteres omnes unanimi consensu statuunt hanc Bestiam adscensuram ex mari, eandem prorsus esse cum Bestiâ illa adscensura de abysso Apoc. 17. id est, eam esse ipsissimum Antichristum:

quam

quam eorum sententiam suprà confirmavimus. Præpostere, & tardè nimis hic sermo esset de vulnere aliquo læthali capitis sexti. *Denique* describitur hic triplex hujus Bestiæ Romanæ status. Unus primæ institutionis: Alter destructionis sive insecutæ corruptionis: Tertius denique restaurationis, sive resurrectionis Ideò non est dubiũ, quin idem illud caput quod prædictum erat in tertio suo statu sanandum, fuerit jam antè in secundo vulneratum Non enim aliud est caput, quod vulneratur, & aliud quod sanatur: sed idem quod cadit, resurgit: & quod moritur, reviviscit. At nullum aliud sanatur, resurgit, reviviscit, quàm caput septimum, quod est ipsius Antichristi. Id vel ex eo possimũ apparet, quod Antichristus sit qui sequentem novissimam persequutionem quadraginta duórum mensium Apoc. 13.5 suscitet, ut videre est Apoc. 11.2, quæ incidet in finem tubæ sextæ. Ergo, caput hoc vulneratum, non est imperium Caroli Magni, sed ipsius Antichristi.

Estque hæc veritas adeò perspicua & certa, ut ipse Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 5. id satis disertè fateatur; *Textus*, inquit ille, *cogit planè, ut per illud caput Bestiæ, quod mortuum erat & revixit, non intelligamus Carolum Magnum, sed Antichristum.* Rectè; quia caput hoc sanatum, sive restitutum, suscitavit novissimam persequutionem: & nullos sibi alios habebit obnoxios, quàm reprobos, *quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni.* Apoc. 13.5.8.

Assumo SECUNDO; *Imperium Caroli, non est illud parvum cornu Danielis, aut Bestia illa Ioannis, ad scensura de abysso*: quod omnes fatentur, & nos suprà abundè probavimus eum esse Antichristum. Ipsi Pontificij omnes, qui alioqui acerrimè pugnare solent pro imperio Romano, tanquàm pro alterâ Tibiâ statuæ Danielis, ne putaretur Antichristus jampridem in Urbe Româ comparuisse, uno ore fatentur, *Parvum cornu* Danielis, & *Bestiam marinam* Joannis repræsentare regnum ipsius Anti-

christi: quod illi negant revelatum esse, nullo alio inducti argumento, quâm quia regnum Caroli in occidente, sit Romanum imperium per alteram illius statuæ tibiam præfiguratum quod nunc docebimus esse falsissimum.

TERTIÒ itaque assumo; *Imperium Romanum in Carolo redintegratum, non est una ex duabus Tibijs statuæ Danielis*: quod tamen Pontificij, & alij, qui iis adstipulantur, falsò, putant. Sic enim Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 5. *Mirabili providentiâ Dei, quando defecit imperium in occidente, quod erat altera Tibiarum statuæ Danielis, mansit incolume Imperium in oriente, quod erat altera Tibia. Quia verò Imperium orientis destruendum erat per Turcas, ut nunc factum vidimus, iterum Deus erexit in Occidente priorem Tibiam, id est, imperium Occidentale, per Carolum Magnum, quod Imperium ad huc durat.* Ego admirabilem Dei providentiam adoro, non tantùm in eo, quod cum Imperium Romanum in Occidente prius stabilitum fuerit in *Octaviano*, qui per excellentiam dictus fuit, *Augustus*, idem etiam in Occidente penitus sit collapsum in *Odoacre*, qui per contemtum dicebatur, *Augustulus*: sed etiam in eo dispensationem divinæ providentiæ veneror, quod occulto suo judicio, nec minus justo, Sathanæ laxaverit habenas ad puniendum contemtum sui Evangelij, ut novum erigeret in occidente imperium, per Romanum Pontificem; cui nomen attribueretur, *Romanum*: ne videlicet animadverteret populus Christianus ipsum Romanum Pontificem in urbe Româ præsidentem, & absolutum transferendi regna potestatem sibi vendicantem, esse ipsissimum Antichristum, in quo Romanum imperium verè & propriè in Scripturis dictum, continuandum esset usque ad finem sæculi. Fabula acta est Romæ, non res seria, quando Carolus Magnus Romæ creatus fuit Imperator; ut cui nullum erat in urbe Româ dominium, in quo nunc temporaliter dominabatur Romanus Pontifex: & cui totum illud imperium erat ju-

ramento obstrictum, ut videre est apud Baronium Pontificiæ omnipotentiæ hominem addictissimum.

Imperium in Carolo erectum, nullo modo haberi & dici potest, ALTERA TIBIA statuæ Danielis; sive Tibia illius statuæ Occidentalis. *Primo*; quia Daniel nunquam vidit statuam illam monotibialem. Inanis itaque fictio est, concipere statuam illam aliquamdiu monotibialem fuisse & durasse Sic quidlibet ex quolibet deduci posset pro libitu. Et statua persimilis erit sono campanæ, quã id sonare nobis persuademus, quod ipsi dicere volumus. Tantum miraculum, quod mirabilem redderet Dei providentiam, si ullum fuisset, apertè fuisset in figurâ ipsâ repræsentatum. *Deinde*, absurdum est fingere velle tantam Colossum, sive tantæ molis statuam, cujus caput erat aureum; pectus & brachia, argentea: Venter & femora ænea: Duæ denique Tibiæ ferreæ; potuisse per aliquot centenos annos in unâ persistere, Tibia. Annis trecentis, usque ad Constantinum Magnum eadem statua in duabus perstiterat tibijs; At post Augustulum Romanum imperium in Occidente defecit annis trecentis viginti quinque, usque ad Carolum Magnum. Diutius itaque per stitisset in unâ Tibiâ, quam ante fecerat in duabus. *Denique*, expresè testatur Daniel, utramque hujus statuæ Tibiam, sine ulla interruptione, aut fracturâ duraturam esse, usque ad finem: donec utraque Tibia desinat in suum quæque pedem, qui separatim & abstractim singuli dissolvendi erant in quinque reges, sive regna; quæ simul collecta faciunt decem: quod in occidente factum in illius imperij defectione: & statim postea completum fuit in Oriente.

Certè; Circa idem illud tempus, quo Papa Romanus temporaliter cœpit in urbe Româ dominari, & sub initio septimi sæculi Vetus Romanum Imperium, divisum erat in decem regna; *primum*, erat; Regnum Francorum, tenentium Gaulos:

alterum,

alterum; Regnum Anglo-Saxonum, tenentium magnam Britanniam: *Tertium*, Regnum Visi-Gotthorum, tenentium Hispaniam: *Quartum*, Regnum Lombardorum, tenentium Italiam: *Quintum*, Regnum Sclavorum, tenentium Illyricum, & regiones vicinas: *Sextum*, Regnum Hunnorum & Austriacorum, tenentium Hungariam & Austriam: *Septimum*, Regnum Bulgarorum, tenentium Bulgariam & Serviam &c. *Octavum*, Regnum Admiralium Damasci, tenentium Syriam, & Dominantium in Oriente. *Nonum* Regnum Admiralium Barbariæ dominantium in Africâ, qui hoc ipso seculo invaserunt Hispaniam: *Decimum*, Id quod tenebat Imperator Constantinopolytanus: quæ omnia & singula partes fuêre veteris Romani Imperij, nunc ab eodem distractæ & divulsæ.

Cùm ergo Romanum Imperium in decem cornua, sive in decem regna (quod statuâ Danielis fuerat præfiguratum) jam pridem dissolutum fuerit ante exortum Imperium Caroli; quis non videt non posse illud Imperium, haberi & censeri, pro unâ ex duabus illius Tibiis? Tibiæ duæ in decem regna distractæ erant: & sic in illis finita fuit tota illius statuæ prophetica visio. Quare planè cæcutiunt, qui durationem hujus Occidentalis imperii, cujus nomen & successio, adhuc durare præsumitur. Ex vaticiniis Danielis & Joannis, prorogare student, usque ad consummationem sæculi: ex quibus nō improbabiliter contrarium posse colligi, nempe, Imperium hoc brevi esse interiturum, in responsione ad quæstionem tertiam, cum bono Deo, ostendemus, Itaque,

Respondeo,

Ad TERTIAM. *Præsens Imperium Germano-Romanum brevi interiturum esse probabiliter ex Scipturis colligitur.* Et quidem ex tribus potissimum argumentis. *Primò*; ex *læthali Romanæ* Bestiæ *vulnere*, Apoc. 13, *Deinde*; ex *quinque mensibus* Tubæ quintæ, Apoc. 9. *Tertio*; ex

ex *decem regibus* fornicariam odio perſequentibus, & perſequuturis, Apoc. 17. quæ ſingula nunc latius deducenda, & propius inſpicienda, atque examinanda ſunt.

PRIMUM argumentum deſumitur, ex qualitate illius plagæ, quæ Beſtiæ Romanæ, id eſt, regno Antichriſti infligenda prædicitur, Apoc. 13;3. *Et vidi unum, de capitibus ſuis, quaſi occiſum in mortem.* Unum, id eſt, præcipuum. Jam antè vidimus, eſſe hanc plagam, non ſexti capitis, id eſt, Romanorum Imperatorum: ſed ſeptimi capitis, id eſt, ipſius Antichriſti; & eandem materialiter in eo conſiſtere, diximus; quod decem reges, ſive regna, qui cum Antichriſto jam ante fuerant fornicati, ab eodem defecturi ſint. Sed hîc duo alia inſuper addenda ſunt. *Primò*; qualis futura ſit hæc plaga? *Deinde* quanta, & quo uſque ſit progreſſura? Plaga erit infligenda per prædicationem Evangelij, & plaga quæ lento quodam gradu perficienda eſt; quomodo ſi quis tabe affectus, lentè & ſenſim conſumitur. Ideò Paulus hanc plagam vocavit; *Conſumtionem quandam, quæ Spiritu oris Chriſti*, id eſt, efficaciâ Evãgelicæ prædicationis perficitur, 2 Theſſ. 2. Et Joannis eam appellavit, *illam plagam illius gladij*, Apoc. 13. 14. nempe ſpiritualis, de quo ſuprà mentio facta erat; quemque nominaverat, *Gladium oris Chriſti.* Apoc. 1. 16. & 2. 16. Paulus eundem jam antè indigetaverat; *Gladium Spiritus* Epheſ. 6. 17. *& Gladium vivum, & efficacem, & penetrabiliorem omni gladio ancipiti*, Heb. 4. 12. Et jam pridem cœpta eſt hæc plaga infligi per noſtram Reformationem.

Tanta autem futura prænunciatur, ut regnum Antichriſti habendum ſit ſuo tempore pro regno penitus quaſi collapſo, & quodammodo mortuo; expreſſe dicitur; *quaſi occiſum in mortem*: ita ut idem ſanatum ſive reſtitutum, videatur quaſi ex mortuis reſurrexiſſe. Apoc. 13. 14. & illa ejuſdem reſurrectio habeatur inſtar magni alicujus miraculi; quam univerſa terra

admirabitur, & eâ per movebitur, ad adorandam, & sequendam de novo Bestiam, hanc Antichristianam. Apoc. 13. 4. quod tamen nondum conspicimus impletum: sed brevi implendum esse non dubitamus.

Quamplurima enim regna olim Romano Pontifici subjecta, per prædicationem Evangelij ab ipsius obedientiâ jam pridem fuerunt avulsa: nondum tamen omnia, nedum præcipua. Ex illis duo adhuc restant præcipua regna, quæ hactenus labascentem Romanam Rempublicam, quasi fulcra sustinuerunt; Hispania, & Germania: quæ brevi etiam à Romano Pontifice sunt defectura; ut vulnus hoc læthale, tandem ad suam maturitatem pertingat. Imprimis verò Imperator Germano-Romanus cujus imperium ad ruinam nunc inclinat, benefitio Evangelicæ prædicationis, brevi è medio tollendus est; ut illa etiam larva Pontifici Romano, quâ hactenus multorum Christianorum oculos fascinavit, (*Vetus Romanum imperium in Germaniâ perdurare; proinde Antichristum nondum venisse*) detrahatur. Qui itaque ex principibus Evangelicis, hoc Dei opus de exterminando Romano imperio incæperunt, in eo fideliter & constanter, pergant ac perseverent, cum certâ spe, brevi se voti sui compotes fore. Deus enim, qui hactenus eorum operi benedixit, ut multum promota sit hæc læthalis plaga regni Pontificij, eidem porro benedicturus est, donec verba ejus consummentur, & Bestia Romana videatur, quasi occisa in mortem.

SECUNDUM argumentum desumitur ex *quinque mensibus* Tubæ quintæ. Apoc. 9. 5. *Et datum est illis ne occiderent eos, sed ut cruciarent mensibus quinque.* Et vs. 10 *Potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.* Nulli enim dubium esse potest, quin certum ac definitum aliquod tempus, *quinque* illis *mensibus*, à Spiritu Sancto præfiguretur. Numerus enim *quinarius*, nunquam indefinitè ponitur: quia non est numerus plenus, sive perfectus:

ctus: & *quinque menses*, bis repetuntur: ut hâc ipsâ repetitione indicetur, pandi hic singulare aliquod mysterium, de duratione harum locustarum Spiritualium, quamdiu eæ sint grassaturæ, & quando interituræ: quod nunc inspiciemus, & in timore Domini indagabimus: Ad quod tria prænotanda sunt.

Primum, hanc tubam quintam esse tubam ipsius Antichristi, utpote qui jam pridem ex spirituali Ecclesiæ episcopo, factus sit Princeps terrenus, & pro clavibus cœli, *clavem* acceperit *abyssi*, quâ inferum aperit: & animas in purgatorio laborantium, è flammis inferni eripit, & liberat, si modò vera nobis narrent purgatorij præcones. Et nomen Antichristi, quod in Græcis Ecclesiis notissimum erat ex Paulo. 2 Thess. 2. illi attribuitur. Dicitur enim Apollyon, sive ἡος ἀπωλειας, quod nomen Judæ proditori à Domino est appropriatum, qui sub nomine Apostoli, Christi fuit adversarus, & in eo figuram gessit Antichristi.

Omnia quæ Paulus 2 Thess. 2. de Antichristo prædixerat, tam benè conveniunt cum iis, quæ à Joanne hoc loco typicè repræsentantur, ut ovum ovo non possit esse magis simile. Antichristi adventus apud Paulum, est cum omni operatione Sathanæ: & adventus hujus Appolyontis, est cum apertione putei infernalis: Antichristus apud Paulum est caput universalis apostasias: & hic Apollyon, causa est universalis obscurationis; *Sol enim & aër abscurantur* ex fumo ejus: Antichristus apud Paulum, neminem seducit, nisi reprobos, qui non habuerunt charitatem veritatis, sed pereunt: Et hîc Appollyon, nullis etiam alijs nocet, quâm ijs, qui non habent, *signum Dei in frontibus suis*. Tandē uno & eodem nomine idē utrobique exprimitur, Απολλυων sive ἡος ἀπωλειας, perdens, & perditus, introducens sectas perditionis, ut Petrus loquitur. 2 Petr. 2. 3.

Neque ego primus sum, qui hanc tubam expono de revelatione ipsius Antichristi: sed jam ante mille annos eandem

de Antichristo interpretatus est Gregorius Magnus, lib.4.Epist.38. ad Ioannem Patriarchum Constantinopolitanum; *Rex*, inquit, *superbiæ propè est, & quod nefas est dicere, Sacerdotum ei præparatur exercitus.* De Antichristo loquitur, & loquitur de eo cum certo respectu ad hanc Tubam. Hinc enim eum qui hîc *Rex*, dicitur, & *Angelus Abyssi*; appellat, *Regem superbiæ*: & *Sacerdotũ* meminit, quales hæ locustæ sunt quæ in capitibus suis *aureas gestant coronas*, quæ Sacerdotum in Apocalypsi, & in ipso Papatu sunt insignia: Ac denique eos *præparato exercitui* assimilat: quæ similitudo est harum locustarum ; *ut quæ similes sunt equis paratis in prælium.*

PAPAM excipiat Cardinalis, & Cardinalem Episcopus; ut in ore horum trium insignium Papistarum consistat hæc Veritas, *Hugo Cardinalis*, ad locum; *Apertionem putei abyssi*, interpretatur, *Revelationem Antichristi: & exitum locustarum, falsos illius prædicatores* : & ipsum *Regem*, appellat Antichristum: & nomen Hebraîcum, *Abadon*, dicit idem esse, quod; *Pater judicans*: quod nomen illi probè convenit, qui se profitetur summum omnium controversiarum *judicem* : & qui nomen per excellentiam obtinuit, *Papæ*, sive Patris. *Ioannes Chemensis Episcopus*, in onere Ecclesiæ cap. 42. etsi magnum aliquem Antichristum venturum dicat in fine seculi , quem nos quoque venturum non negamus: tamen mixtum aliquem fingit Antichristum, Romanum Papam, & de eo hanc Tubam exponit verbis quæ sequuntur; *In hoc idolo Antiochi figuratur Pontifex abominabilis ob defectum vitæ: Et dicitur desolationis, ob Ecclesiam à statu debito per eum desolandam. Qui Pontifex Diaboli procuratione Ecclesiam Dei ponet in præsenti quinto Ecclesiæ statu.* Et mox; Mixtus ille Antichristus, rectè dicitur, Angelus abyssi, *quia per abyssalem malitiam, & procurationem dæmonum, ac per sui ipsius ambitiosam astutiam, Papatum tyrannicè usurpabit: ut meritò nuncupetur Angelus abyssi, quasi Diabolicus nuncius Ecclesiasticæ vastitatis.*

SECUNDÒ prænotandum; nomine harum *locustarum*, intelligendos esse Sacerdotes Pontificios, qui vertice sunt rasi, & missas celebrant pro defunctis ex purgatorio liberandis, quas vocant, verum & reale Sacrificium propitiatorium pro peccatis viventium & mortuorum. Id apparet ex duobus, *primò*, ex eo, quod hæ locustæ dicantur habere in capitibus suis coronas aureas: quales sunt Sacerdotes rasi, qui rasuram, suam coronam vocant, & eandem æquiparant coronis aureis regum. *Deinde*, quod hæ locustæ oriantur ex fumo putei abyssi; quales sunt Sacerdotes Missatici offerentes missas pro defunctis ex purgatorio liberandis. Nam ex doctrinâ de purgatorio, præter alios infinitos in papatu errores, etiam exorti sunt Sacerdotes illi missatici. Rasura enim verticis, & sacrificum Missæ propitiatorium verum & reale, tardius in papatu fuerunt introducta, postquam aliquamdiu, ad flammas & fumos purgatorij fuit trepidatum.

Ignotum enim illud sacrificium fuit Lombardo lib. 4. dist. 12. & toto cœlo differt à sacrificio veterum: neque fuit in Ecclesiâ receptum per annos à Christo nato 1200. quomodo nec ipsum nomen trans-substantiationis; nec ipsa capitis rasura ita ut nunc longè alij facti fuerint Sacerdotes, quàm fuerant antè; novæ videlicet locustæ, quæ hominum conscientias excruciant doctrinà imprimis, de incertitudine salutis: & pœnis purgatorij. Sermo hic itaque est de novis Antichristianismi Sacerdotibus, qui locustis assimilantur.

TERTIÒ prænotandum, Quinque locustarum menses, propriè acceptos, esse totam durationem locustarum naturalium. Non enim illæ toto anno grassantur, sed cantillant, saltant, depascunt gramina vix quinque mensibus calidioribus, ab Aprili ad Septembrem: sed hic in typum adhibentur ad designandam totam durationem locustarum spiritualium, & quidem durationem definitam, sive determinatam spatio

quinque

quinque sæculorum. Dico; Quinque menses hic adhiberi in Typum quinque seculorum. Prob. *Primò* considerantur hæ locustæ, quasi multitudo quædam hominum, qui regem sibi præfectum habent, tanquam in suo regno. Jam verò tempus quinque sæculorum, id est, annorum quingentorum, fatalis esse solet regnorum, sive imperiorum periodus, ut observavit cum alijs multis Carion lib 4. de Henrico 4. Imperat. *Deinde*, quinque menses, positi sunt quasi *quinque lunæ.* Nam tres lunæ, ponuntur pro tribus mensibus. Exod. 2. 1. At *luna* præest generationi hominum, qui hâc vel illâ lunâ dicuntur nati, ita ut quinque menses hic accipi possint pro quinque hominum generationibus, id est, pro quinque sæculis. *Generatio* enim hominis in Scripturis accipitur pro seculo centum annorum. *Denique* certum est in hac tubâ quinta respici ad plagas Ægypti, in qua olim spissæ tenebræ factæ sunt: & exortæ locustæ: ac populus in Ægypto dicitur fuisse tanquam in fornace magnâ: quarum omnium quoque fit mentio, hîc Apoc. 9. 2. 3 Quid mirum ergo in his quinque mensibus, quibus Ecclesia visibilis ex cruciata fuit ab his locustis, respectum haberi ad quinque generationes, quibus populus Israelis in Ægypto fuit captivatus? Post *quartam generationem* Gen. 15. imò quintâ generatione, aliquamdiu inchoatâ teste Paulo Galat. 3. populus ille ex Ægypto reversus est. Tota igitur duratio harum spiritualium locustarum, est quinque sæculorum.

His præmissis, sic argumentor; Sacerdotes Missatici rasi, tantùm durabunt & regnabunt, quinque sæculis. Ergo jam instat illorum interitus. Exorti enim illi sunt, ut statim monuimus, anno à nato Christo, 1200. quibus si addantur anni 500. quæ tota eorum duratio, exibit annus 1700. Hic itaque annus eorum fatalis est, Quis vero nescit, jam quintum hoc sæculum decurrere, & ferè ad dimidium perductum esse? Tempus itaque propè est, quo brevi Christianus orbis ab hac fece libera-
bitur,

bitur, & ex consequenti, quo ruiturum est Imperium præsens, Germano Romanum, quod his locustis adhuc ex parte relinquitur depascendum. Theologis, Iuris consultis, & ipsis Thalmudistis regula est usitata; Tempus inchoatum pro cõpleto haberi. Conjungant itaq; omnes Reges & Principes Evangelici suas copias, & locustas hasce Ægyptiacas ex agris illius Imperij propulsent, ne quod reliquum est Ecclesiæ, comedant & devorent.

Tertium argumentum desumitur, ex vaticinio Apocalyptico, de decem regibus, sine regnis, qui regnum Antichristi sunt pessundaturi, & propriam ejus sedem igne concrematuri. Verba diserta sunt Apoc. 17.16. *Et decem cornua, quæ vidisti in Bestia. Hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt; & ipsam igni concremabunt.* Quibus verbis non describitur subitanea & improvisa quædam desolatio, qualis futura est Romani imperij novissima, de quâ dicitur Apoc 18.v.8.10, *In unâ die*, imò, *in una horâ*, id est, uno & eodem tempore *venient plagæ ejus*: sed indicatur desolatio quædam præcedanea, lenta & quasi gradualis. *Primò* decem Reges habebunt eam odio, deficiendo sive separando se ab eâ, qui primus est odij effectus, ut qui affectus sit separationis. *Deinde*, suis divitiis, & ornamẽtis, eã exuent, ut sit quasi mulier deserta & nuda. *Denique*, carnes illius comedent, & eam igne cõcremabunt, qui extremus est odij internecini effectus, quo ipso Deo gratũ offerent sacrificium, convivantes de carnibus ejus, & quod reliquum est igne consumentes. Deuter. 8.31.32

Et præcedaneam aliquam hic designari desolationem, apparet, *primò* ex eo, quod decem illi Reges pro Bestiâ, in secundo adventu cum Agno sint pugnaturi, Apoc. 17.14. collato cũ Apoc. 16.14. & 19.19. Ergo hæc eorum adversus Bestiam & sedem ejus conspiratio, erit præcedanea. *Secundò*, ex eo, quod hi Reges finalem Romæ interitum plangent ac deflebunt,

Apoc.

Apoc.18. 12. Ergo hic interitus præcedet, utpote, in quo illi futuri ſint actores & promotores. Nihil certius. Ac videmus id jam pridem magnâ ex parte cœpiſſe ad impleri: & dubium non eſt, quin ex hoc oraculo, idem brevi ſit perficiendum. Pauci quidam ex illis regibus ſuper ſunt, Germania imprimis & Hiſpaniâ, quæ adhuc cum Beſtiâ conſpirant, & hactenus in obedientiâ Romani Pontificis perſtiterunt, ſed prorſus eſt ſperandum, eos etiam brevi defecturos, & id perfecturos, quod ex hoc oraculo adhuc reſtat implendum. Nunc præſens Germano-Romanum imperium, plenis velis ad ruinam provehitur, & Regnum Hiſpaniæ concuti cœpit, quæ certiſſima ſunt præludia, inſtantis deſolationis illius, quæ hic à Joanne eſt prædicta. Faciant itaque Reges & Principes Evangelici opus Domini diligenter, certò perſuaſi laborem ſuum in Domino non futurum inanem.

Equidem ſcio Regnum Pontificium, tandem iterùm ex hoc læthali vulnere ſanandum ac reſtituendum eſſe: non tamen idcirco remiſſiores, aut ſegniores fieri debent Evangelici Principes in eo extirpando. Non enim fiet illa reſtitutio, niſi in finali Judæorum converſione, quæ longius adhuc abeſt. Convertendi illi ſunt proximè ante noviſſimam Antichriſti reſtituti perſequutionem, ut videre eſt, Apoc. 11. 1.2. Ubi *Templi, & altaris dimenſio,* Judæorum ſignificat converſionem. Judæi enim ſunt, qui olim in templo adorare erant ſoliti; & illi expreſſe à *reliquis gentibus* diſtinguuntur, quæ ſub Antichriſto militantes noviſſimam illam in Iudæos, & alios veros Chriſtianos, perſequutionem ſuſcitabunt. Immediatè verò ante illam perſequutionem, vulnus læthale Beſtiæ ſanabitur, & regnum ei reſtituetur, à populis Orientalibus ſub Dracone Euphratæo cum ipſo conſpirantibus Apoc. 13. 4. 5. quod adhuc in longum tempus differtur, ut alias demonſtrabitur.

Falluntur, qui exiſtimant conſummationem ſæculi brevi affutu-

affuturam. Semper enim fuit celebris multorum Christianorum, cùm veterum, tum recentiorum opinio; *Mundum duraturum esse sex millibus annorum*; quia videlicet creatus fuit sex diebus, & die septima fuit Sabbathum. *Dies enim una*, inquiunt ex 2 Petr. 3. 8. *sunt apud Deum, sicut mille anni : & mille anni sicut dies una.* Ita Justinus, Irinæus, Lactantius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, ac cæteri ferè omnes. Cui sententiæ concordat etiam Thalmudistarum opinio, qui ex Heliâ Propheta dicunt se vaticinium habere, quo asseratur, *mundus sex millibus annorum duraturus*. Nec potest hæc sententia per experientiam redargui. Nam secundum veram Chronologiam sunt elapsi à mundo condito, anni quinquies mille sexcenti. Ideò eandem nunc etiam tenent & sequuntur, inter Pontificios, Bellarminus, inter Reformatos, Per. Molinæus; qui illi insuper firmandæ, certissimam & firmissimam rationem quandam adhibuit, ex intimis Astrologiæ petitam, ut videre est in libello Gallico cui titulus ; *L'accomplissement des Propheties*, in 16. pag. 266. 267.

Mundus itaque ex sententiâ Doctorum, adhuc durare debet annis plus minus quadringentis, quando tempus aderit novissimæ tubæ, quæ *tuba erit consummationis.* Apoc. 10. 7. Et statim post novissimam persequutionem Antichristi, tubæ illius clangor audietur. Et omnia *Regna hujus mundi fient Dei, & Christi ejus, & Sancti regnabunt in sæcula seculorum*. Apoc. 11. 2. 15. Proximè verò ante illam novissimam persequutionem ut jam sæpe monui, læthale Bestiæ Antichristianæ vulnus sanabitur Apoc. 13. 3. 4. 5. Longius itaque adhuc abest illud tempus restitutionis. Diligentem ergo operam navent Evangelici Reges & Principes veræ religionis & libertatis amatores, & Assertores; ut regnũ hoc Antichristi, quod labefieri cœptum est porrò exscindatur penitus, quò verè dici possit *quasi occisum in mortẽ*. Sint memores prophetici illius præcepti, Apoc. 18. 6.

 Reddite

Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit vobis: & duplicate ei duplicia, ſecundum opera ejus : in poculo quo miſcuit vobis , miſcete illi duplum. Sic enim brevi ſperatur futurum, ut everſis regnis, Germaniæ & Hiſpaniæ, & ſublatis in univerſum Monachis , regnum corruat Antichriſti, & Judæorum converſio ad fidem Chriſti promoveatur, quæ Pontificiorum cultu idololatrico potiſſimum impeditur; quæque peractâ noviſſimâ , Antichriſti noviſſimi, perſequutione, ſtatim ſecum trahet finalem ejus interitum, & ſeculi conſummationem , in ſecundo Domini adventu.

Summa omnium dictorum.

Præſens imperium Germano-Romanum brevi interiturum eſſe.

I. Quia læthalis plaga Regno Pontificio infligenda tempore Reformationis, nondum eſt ad maturitatem perducta, ut ipſum jure dici poſſit, *quaſi occiſum in mortem.* Apoc. 13. v. 3. Ergo illa regna , quæ Papatui ſtabiliendo adhuc inſerviunt, inter quæ præcipua ſunt regna Germaniæ & Hiſpaniæ, brevi à Romano Pontifice ſunt defectura.

II. Quia quinque menſes locuſtis Miſſaticis raſis attributi Apoc. 9. 5. 10. typi ſunt quinque Generationum ſive ſæculorum, quibus perdurare debent, nempe ab anno exortus eorũ 1200. uſque ad annum interitus eorum 1700. quod ſæculum ſeptingenteſimũ, quia nunc decurrit, & ad medium ferèpervenit: neceſſario ſequitur, quod brevi evertenda, vel convertenda ſint regna Papatui adhuc ſubjecta.

III. Quia decem reges olim Romano Pontifici obnoxij, nondum conſummarunt deſolationem illam Apoc. 17. 17. quæ tamen jam pridem inchoata fuit; quare prorſus ſperandum

dum est, eam brevi perficiendam esse, in ipsis regnis Germaniæ & Hispaniæ potissimum; quæ etiamnum sunt præcipua Romani Pontificis fulcra, & sustentacula.

IV. Prorsus temerarij & frustranei sunt, qui ex vaticinijs Danielis & Joannis conantur ostendere contrarium: ut qui nihil directè & explicitè de illis regnis sint loquuti. Longè aliud est Romanum Imperium, quod in Scripturis prædicitur continuandum usque ad consummationem sæculi: aliud verò imperium Romanũ Caroli Magni, aut præsens Romano-Germanicum, quod ex Scripturis probabiliter colligitur brevi ruiturum.

Dicit qui testimonium perhibet istorum. Etiam venio citò: Amen: Etiam veni Domini Jesu. Apoc. 22. 22.

APPENDIX.

QUIA aliquoties in præcedentibus, facta est mentio, *Quadraginta duorum Mensium*, breviter quid de iis sentiendum sit, ne quid lectorem remoretur, adjiciam. Ac *primò* sciendum; Unum idemque tempus esse, quod tùm in Daniele, tùm in Apocalypsi sub varijs formis sæpè repetitur, nunc sub hac; *Menses quadraginta duo.* Apoc. 11, 2. & 13. 5. nunc sub illâ; *Dies mille ducenti sexaginta.* Apoc. 11, 3. & 12, 6. Nunc denique, sub istâ; *Tempus, Tempora, & dimidium temporis.* Dan. 7. 25. & 12. 7. Apoc. 12. 14. quod probè observatum est à Paræo in Apoc. 12, 6. *De his diebus*, inquit. *utrobique* Apoc 11. 3. & 12. *6 agitur. Erant ibi tempus Prophetiæ duorum testium; hic sunt tempus* Exilij *mulieris in deserto. Idem tempus quadraginta duorum mensium ibi erat conculcationis urbis Sanctæ: & erit Apoc* 13. *v.* 5. *grassationis Bestiæ in Sanctos. Eodem igitur tempore Ecclesia exulabit*

in deserto: & urbs Sancta conculcabitur: & duo testes prophetabunt: & Bestia bello persequetur Sanctos. Ibunt ergo hæc paribus passibus. Hæc ille. Sciendum *secundò*, Hos *quadraginta duos menses*, non esse totam durationem regni Antichristi, simpliciter & absolutè considerati: sed tantum regni sævissimi, & gravissimæ persequutionis, sub Antichristo in eo genere & ordine novissimo, ut rectè distinxit Augustinus. Haud etiam negligendum est illud Ambrosiastri in Apoc. 13. *Difficilè videtur, ut in tam parvissimo tempore, id est, tribus annis, & dimidio, omnes gentes sibi subjicere, & ad suam culturam genus humanum præter paucos Electos, possit adducere Antichristus. Et sicut mihi videtur, in tribus annis, & dimidio persequutionis tempus tantummodò comprehenditur.* Sciendum *Tertiò*, Eos *menses quadraginta duos*, propriè & literaliter accipiendos esse: quod quia est contrà sententiam ferè omnium Recentiorum, firmiter hoc loco erit, probandum. Omnes Antiqui Patres, tam Græci, quam Latini, unanimi consensu eos propriè acceperunt pro tribus annis & dimidio, *propriè dictis*, id est, acceperunt eos, de mensibus non annorum, sed dierum. Et confirmatur hic syncerissimus eorum intellectus, sequentibus argumentis. *Primò*, quia hi quadraginta duo menses incidunt in finem tubæ sextæ. Apoc. 11. 2. Velle autem in fine tubæ sextæ, adhuc numerare menses quadraginta duos annorum, est cum ratione velle insanire. *Deinde*, quia iidem quadraginta duo menses, statim Apoc. 11. v. 3. resolvuntur in dies mille ducentos sexaginta: ac si expresse dictum esset; non hic agi de mensibus annorum, sed de mensibus dierum. Hinc Augustinus; *Ex numero dierum posterius posito, tempus antecedens dilucescit.* *Tertiò*, iidem menses sunt tempus extraordinariæ & miraculosæ prophetiæ duorum testium, qui simul suam prophetiam inchoabunt, & simul finient. Simul eodem mortis genere interficientur, & simul eodem tempore eorum cadavera jacebunt inhumata: simul denique eodem

eodem tempore ex mortuis resurgent, & simul adscendent ad cœlos: quibus tribuere velle menses quadraginta duos annorum, est illis vitam tribuere longiorem, quam futura fuerat vita paradisi; quæ ut quibusdam veteribus videtur, vita fuisset mille annorum : post quam translati fuissent in paradisum cœlestẽ. *Quartò*, Tribuuntur his testibus occisis tres dies cum dimidio propriè dicti: quibus eorum mortua corpora publico hominũ patebunt ludibrio in plateis. Longius autẽ cadavera in locis publicis tolerari non possent propter intolerabilem eorum fœtorem. Ergo & dies prophetiæ eorum , erunt dies propriè dicti. Ideò Andræas; *Posteàquam tot dies extincti fuerunt, quot annos vaticinati fuerint, denuò resurgent. Quintò*; Nusquam in totâ Scriptura legitur mensis, positus esse pro mense annorum. Et prorsus absurda esset ejusmodi positio, ut mensis accipiatur pro triginta annis, quia constat triginta diebus. Solet ille in Scripturis appellari, Mensis dierum, id est, integer, sive perfectus: Et talis interpretatio ut dixi, caret omni exemplo. *Sextò*; Menses quadraginta duo , idem tempus faciunt cum *Tempore, Temporibus, & dimidio temporis*, apud Danielem: & ubique eadem tempora eodem modo accipienda sunt; ut non aliud tempus intelligamus initio positum ; alia tempora, in medio; & aliud, medium tempus, in fine. At istis temporibus, menses quadraginta duorum annorum, ut posita sunt, accommodari nequeunt *Septimò* denique; Apud Danielem, *Tempus* accipitur pro anno uno, Dan. 4. ubi aliquoties legimus *septem tempora*, pro septem annis. Ergo *Tempus* significabit, unum annum; *Tempora*, annos duos; *Dimidium temporis*, dimidium anni. Vnde Hieronymus, & post Hieronymum, imò post Antiquitatem universam, Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 23. *Tempus & Tempora, & dimidium temporis, sunt annus unus, & anni duo, & dimidius annus, id est, tres anni & semissis. Videntur quidem Tempora indefinitè hic dicta linguâ Latinâ: sed per dualem numerum*
 dicta

dicta sunt, quem Latini non habent. Sicut autem Græci, ita hunc dicuntur habere, & Hebræi. Sic ergo dicta sunt tempora, tanquam dicerentur, duo tempora, id est, anni duo. Hæc omnia & singula, & similia plura devoranda sunt iis, qui hos menses quadraginta duos, aliter interpretantur, quàm de usitatis nostris annis tribus & dimidio. Argumenta in contrarium nulla sunt, excepto hoc unico; *Quod hic sermo sit de duratione alicujus Imperij magni & robusti cujus durationem circumscribere velle, solis mensibus quadraginta duobus propriè dictis, prorsus videtur absurdum.* At jam ante respondimus, non determinari iis mensibus, totam durationem Regni Antichristi, sed tantum Regni sævissimi, & novissimæ persequutionis, sub Antichristo in illo ordine & Regno, novissimo. Verùm de his, ut & de aliis præcedentibus, plura, cum bono Deo, dicenda nobis erunt in tractatu nostro, de Antichristo Textus intereà cogit, ut hujus temporis descriptionem accipiamus, de solâ duratione novissimæ persequutionis. Triplex enim Antichristi status describitur, Apoc. 13. *Primus*, est ortus & accretionis vers. 1. & 2. *Secundus*, est, lapsus & defectionis. vers. 3. *Tertius*, est, resurrectionis sive restitutionis. vers. 4. Hanc verò regni ejus restaurationem sequetur vers. 5. tempus *quadraginta duorum mensium.* Verba sunt; *Data est ei potestas facere menses quadraginta duos.* Vbi quidam notant verbum, *faciendi*, absolutè positum, significare effrenatam ipsius dominandi libidinem, & licentiam agendi quicquid libuerit. Alij *facere* tot *menses* interpretántur de permansione, sive duratione, tot mensium: quomodo Apostolus Jacobus dixit cap. 4. v. 13. *Faciemus ibi annum unum.* Alij denique sub intelligunt vocem πολεμον ex vers. 7. quam quædam Græca exemplaria etiam hoc loco habent expressam. Et optima illa interpretatio est, quæ variantes lectiones conciliat: ac proxime accedit ad reliquas contextus circumstantias. Sed quomodocunque accipiatur, semper manet, hos

menses

menses, sequi regnum Antichristi restitutum, sive ex morte quasi redivivum: & sensus manet idem, quem Augustinus expressit, esse eos menses *regni sævissimi, & novissimæ persequutionis*, sub Antichristo novissimo, quem Dominus aboliturus est illustratione præsentiæ suæ. Ita enim ille lib. 20 de Civit. Dei cap. 23. *Antichristi* (novissimi) *adversus Ecclesiam sævissimum regnum, licet exiguo temporis spatio sustinendum, donec Dei ultimo judicio regnum Sancti accipiant: qui vel dormitans hæc legit, dubitare non sinitur.* Quod ne ipsi quidem doctissimi Jesuitæ, Pererius & Suaresius diffitentur. De quibus aliâs plura. Hic itaque finio.

D. Larenus.

ERRATA.

Pag. 22. pro *Odoacre*, lege, *Augusto*. Pag. 23. completum fuit, lege, compleri cœptum fuit. *Reliqua corriget ipse Lector.*

